



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De manifesta Clericorum negotiatione. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

*Manifesti
Concubi-
narii qui.*

*Focaria
Concubi-
na dic. L.
fca C. de
conditi. in-
feris.*

*Quid a-
gendum
Decanis
contra
Concubi-
nas Cleri-
cor.*

*Vide infra
Vnicbol.
cap. 5.
Clericis
non licet,
Liberis
suis spuris
ves ab Ec-
clesia pro-
venientes
legare.*

*Clerici ne
suorum li-
berorum
nuptiis in-
ter sint.*

*Carceralis
disciplina
infigenda
negotiato-
ribus Cle-
ricis.*

non solum eos qui in suis domibus tenent Concubinas, verum omnes generaliter, eos etiam qui mulieres focarias, extra domos suas manentes, suis manifeste procurant sumptibus & sustentant: De his ita præcipimus, quod tales, inde in Visitatione Nostra notati, cessent de cætero à talis peccati commercio, & in pœnam commissi excessus, intrent carcerem Canonialis disciplinæ, illum servaturi secundum morè & consuetudinem disciplinæ, hætenus observatæ. De his autem mulieribus ita præcipimus, quod, si intra immunitatem (quod ablit) fuerint compertæ manentes, vel prope immunitatem, Decani Ecclesiarum per Excommunicationis sententiam ipsas ad recedendum compellant; ipsique nihilominus Decani eas ad suos Plebanos destinant, recepturas ab eis vel aliis boni consilii (quoad remedia animarum) viris pœnitentiam salutarem.

Quia verò supradicti cohabitatores mulierum Clerici, patrimonium Iesu Christi in usus malos, cum suis peccando focariis, expenderunt, eos proinde teneri ad satisfaciendum Ecclesiæ, cujus bonis taliter in suis concupiscentiis & peccati illecebris sunt abusi, decernimus; & satisfactionis istius modum Nobis reservamus, secundum canonicas sanctiones.

Et, quia iidem Clerici, sicut de multis eorum comperimus, ita huius peccati perniciofa nimis assuefactione excæcati, in eo persistere, usque ad vitæ etiam suæ novissimam, non verentur, in tantum, quod in extremis agentes, si quid de bonis Ecclesiasticis habuerint, ea pueris suis legant & deputant, non contenti quod inde in vita sua eos aluerant, & sic fraudant Ecclesiæ Iesu Christi patrimonio, sequemur ipsos culpæ magis illaqueant coram Deo: talem abusionem damnabilem detestando damnamus, & fieri de cætero districtissime prohibemus.

Item, ut ipsi Clerici (qui malam utriusque vitam in huius cohabitationis crimine agunt) à mala sibi saltem fama coram hominibus & toto Clero, de impropria nimis detractio- ne, præcaveant; ipsis sub districtione firmissima prohibemus, ut nuptiis filiorum suorum & filiarum personaliter non intersint. Et in his nuptiis, quantum omnino potest, vitetur pompa & solemnitas nuptialis.

II. De manifesta Clericorum negotiatione.

Cum Negotiatio in Clerico, & usura in Laico, quasi esse unius generis censeantur; ita præcipimus, quod cessent de cætero à talis peccati malitia, & in pœnam commissi excessus, intrent canonialis carcerem Disciplinæ, secundum quod superius est expressum. Quia vero isti turpis avaritiæ sectatores, non Deo sed Mammonæ lucrifacere elegerunt,

& malis inhiando lucris, Christi similiter patrimonio & bonis Ecclesiasticis sunt usi illicitè & indigne: eos proinde teneri ad satisfaciendum Ecclesiæ, in cujus non fideliter, sed fraudulenter potius, negotiati sunt bonis, decernimus; & satisfactionis istius modum secundum sanctionem Canoniam Nobis reservamus.

III. De insufficientia scientiæ, quæ est illiteratura, Clericorum.

Item de Clericis, de insufficientia doctrinæ, quæ est illiteratura, notatis, sicut de omnibus scientiam eminentem non requirimus, sed quod sciant legere & cantare ad Divini Officii ministerium competenter; ita præcipimus, quod, qui per se non possunt facere in Choro cantandi debitum & legendi, faciant per aliam personam idoneam, secundum quod Decani sui discretio duxerit providendum.

IV. De Tonsura Clericorum.

Cæterum de Clericis, non deferentibus Clericalem Tonsuram, & vestes habentibus Clericum non decentes, (indecentia namque vestium, in colore, vel pompa notorum, vel apertura vestium à latere, aut nimia brevitate, notatur;) sic, tam de his quam de illis, districtè præcipimus, ut Tonsuram commæ, quæ Clericalis sit, habeant & suas Coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen invenimus aliquos ommittere: quod maxime detestamur, dum tales, & taliter se gerentes, privilegio quidem Clericali gaudere contendant, & tamen signum illius privilegii aspernentur. Sub eadem districtione, vestium indecentium pompam & usum firmissime inhibemus.

V. De Clericis Simoniacis.

Item de Clericis Simoniacis ita præcipimus, quod, ante omnia, ea dimittant Beneficia, quæ adepta per Simoniam extiterint, ne ea in damnationem suarum teneant animarum: & postmodum cum maturo consilio, qualiter ipsorum statui consulatur, ordinabimus secundum canonicas sanctiones.

VI. De Clericis irregularibus.

De Clericis autem irregularibus ita præcipimus, quod à sui Officii executione se contineant; donec circa eos fuerit ordinatum secundum Canonicas sanctiones, quid fuerit ordinandum.

VII. De

Inscitia.

*In collegiis
inidonei
per ido-
neos mini-
strent.*

*Indocen-
tia ve-
stium.*

*Necessariò
hoc tem-
pore inno-
vandam
statutum.*